



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Vt eandem semper circunferat & imitetur. 55

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

citius recte administrari posse. Conandum est itaque  
 ut utrumque habere possimus. Etenim vita & passio  
 Christi fundamentum est, cui omnes virtutes super-  
 ædificantur, sine quo etiam fundamento nullæ  
 possunt virtutes diu subsistere. Ideo virtutes om-  
 nes ei sunt ulterius superædificandæ.

Qualiter passionem domini nostri intra  
 nos circumferre, eamque imitari debeamus.

Cap. LV.

**S**I igitur o anima mea saluari desideras, fun-  
 damentum istud ante oia intra teipsum collo-  
 care debes: intrare deinde per Christum Iesum,  
 qui ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit,  
 saluabitur. Et iterum: Ego sum via, veritas et vi-  
 ta. Qui ambulat per me, non errabit. Qui credit  
 in me, non decipietur. Et qui adhæret mihi, vnus  
 mecum spiritus est, & habebit lumen vitæ. Et  
 ingredietur & egredietur, et pascea inueniet. Ac  
 si patenter dicat: Non satis est in humanitate mea  
 exerceri, ulterius in præclarissimæ diuinitatis ef-  
 sentiam procedendum est. Nihil enim sine diui-  
 nitate prodest humanitas. Etenim vt homines  
 dii fierent, Deus factus est homo. Egrediens ita-  
 que in nobilissimam humanitatem meam, do-  
 ctrina & exemplis meis suauiter reficietur. Om-  
 nes namque per Christi vitam ac passionem libe-  
 rati sumus atque redempti: coelum apertum, & Sa-  
 tanæ virtus imminuta. Nec quicquam Deo ac-  
 ceptius, nobis salubrius, demonibus pernicioso-  
 re existit, quæ iugiter in cordibus nostris circumfer-  
 re passionem domini nostri. Quilibet ergo, prout me-  
 jus poterit, in ea sese exercere debet, & assuetu-  
 cere in omni actione sua eam velut speculum,  
 & 100



## LIBER II.

& totius perfectionis exemplar in corde suo ha-  
 bere: vnde etiam maiorem profectum & copio-  
 siorem veritatis cognitionem hauriet, quam ex  
 oibus libris atq; doctoribus mundi. ¶ Christus  
 nanq; fons ille est, vnde omnia hauriuntur. Ipse  
 quoque est liber vitæ, in quo si bene studere no-  
 uerit, omnem perfectionem addiscet: eius quoq;  
 exempla cum igneo atq; ardenti amore in hu-  
 militate, mansuetudinē, obediētia, benignitate,  
 castitate, resignatione & sobrietate sequi cona-  
 bitur, & in eius se quotidie passione cum tanta  
 deuotione & gratitudine exercebit, ac si semper  
 parasceue esset. Etenim in veteri lege sub anathe-  
 mate præceptum fuit, vt ignem in altari nunquā  
 extinguī permitterent. Eodem modo quilibet  
 Christianus nunquam de corde suo recedere ea,  
 quæ filius Dei propter nos fecit, dimisit, passus  
 est & docuit, permittet. Præceptum quoque fuit  
 ibidem, vt Sabbatum clausis ostijs celebrarent.  
 Ita nimirum & quælibet anima, quæ intimum il-  
 lud Sabbatum, amorosam videlicet dominicæ  
 passionis vnionem obtinere desiderat, quinque  
 sensuum suorum ostia concludere debet, nec ex-  
 trouertere sese ad leuitates, risus & verba ioco-  
 sa, sed iugiter ob oculos suos amorosam domi-  
 ni nostri Iesu Christi imaginem, & interius abyf-  
 salem eius ad nos charitatem versare.

De vtilitate huius exercitij, & de quibusdā  
 impedimentis. Cap. LVI.

**T**Ali nanq; dñicæ passionis exercitio perfe-  
 cte in diuina charitate fundamur, sibiq; re-  
 nouamur atq; renascimur, introducimur-  
 que & in diuina præsentia stabilimur: totaliter  
X iij      quoq;